

lium integrum cum 9. lineis, primaque nobis verba sunt: *esse poterunt. audire opus habebant &c.* Turcicae hoc calamitatis vestigium puta. Pertinuit enim volumen istud ad splendidissimam *Matthiae Corvini* Bibliothecam, ut testantur *Insignia Regis* Operimento exterius impressa, et *fol. ult. aversi* nota hujus tenoris: *Liber reductus ex Constantinopoli Viennam Mense Octob. anno Do. M. D. LVII. per Reverendum Do. Episcopum Quinqueecclesiensem Do. Anthonium Vrancium, Oratorem Regium, qui fuit antea ex Bibliotheca Buden. inuictiss. Regis Mathie Hungarie. per Turchas ablatas, anno Domini M. D. XXVI. profligato Rege Ludouico in Campo Mohachien. De Ant. hoc Verantio f. Werantio, quem Ferdinandus I. an. MDLII. ad Solymannum delegerat, adi Alex. Horanyi Memoriae Hungaror. P. III. Pofon. 1777. p. 495. 8. Ut vero ad Codicem redeamus, hac ille terminatur clausula: *Honor trinitati. Per me Henricum Amstelredammis. alias Sença paura. Anno domini. M<sup>o</sup>. CCCC<sup>o</sup>. LXVIII<sup>o</sup>.* itaque biennio ante primam editionem absolutus. An Calligraphus hic *Henricus* ille de *Amsterdamis* fuerit Theologiae professor, cujus extat *Oratio funebris in Fridericum Victoriosifs. Bavarie Ducem Argentine* 1488. et iterum 1497. per *Job. Gruninger* 4. impressa, definire non ausim. De integro *Thomae Aq.* in omnes IV. Evangelistas Opere egi*

in *Merkwürdigkeiten der garell. Biblioth. Vindob. 1780. p. 87. 4.*

## CIX.

Codex membraneus lat. Sec. <sup>127</sup> *nunc VI C* saltem X. Folior. nunc 157. f. formae pene quadratae, per duas columnas eleganter et castigatae scriptus, rubroque sub initia distinctus complectitur *Sedulii junioris Scoti Catenam* five *Collectanea* ex PP. Sententiis et dictis in *Evangelium S. Matthaei 'avex-dora. Sedulium* hunc, Presbyterum, an Episcopum? a duobus *Seduliis* antiquioribus, *Poeta* scilicet et *Episcopo* Sec. IX. Britanico distinguendum *Hepidannus S. Galli* Monachus in *Annalibus* brevibus ab *Andr. Quercetano* T. III. *Scriptt. Franc.* et a *Melch. Goldasto* T. I. *Alaman.* editis ad an. 818. claruisse adfirmat. Confer, si lubet, *Phil. Labbeum* T. II. de *Scriptt. Eccl.* p. 324. *Oudinum* T. II. p. 26. *Fabricium* v. *Sedulius, Thomae Tanneri* *Bibl. Brit.* p. 660. Initium Codici eximio dant instar *περολεγόμενων* *Excerpta* ex *Augustini Indiculo* et *Libro de Consensu Evangelistarum* in septem velut Capita tributa miniatis hisce titulis: I. *De Numero Euangeliorum et Euangelistarum.* II. *De Ordine Euangelistarum.* III. *De eo quod non IIII. Apostoli Euangelium conscripserunt.* IV. *De Prefiguratione IIII. Euangeliorum et Euangelistarum.* V. *De Laude Euangelii, deque ipsius nomine.* VI. *De Persona et Causa, Tempore quoque et Loco*

conscripti *Euangelii secundum Mattheum*. VII. De rationabili ordine in *Euangelium* perueniendi. Postea incipit ipsa *Expositio* hoc rubro: *Incipit Euangelium kata Mattheum. Liber Generationis Ihesu Christi. In hoc exordio eclypsis hoc est defectus necessarium dictionum esse uidetur. Sed ut plenus sensus constare queat quaedam sunt subaudienda. &c.* Tota constat *Libris* IV. quorum *Primus* ad *Caput* CII. et ea verba: *Iohannes autem cum audisset &c. Secundus* ad *Caput* CLXVI. et verba: *Venit autem Iesus in partes Caesareae &c. Tertius* ad *Caput* CCXXV. et verba: *Congregatis autem Fariseis interrogauit eos &c. Quartus* ad *Caput* CCCLV. et *Matthaei* finem pertingit. *Ultima* sunt: *Post hanc nos uitam ad uidenda secum uite caelestis praemia subleuet. In qua uiuit et regnat cum patre deus In unitate spiritus sancti. per omnia saecula saeculorum. Amen.* *Subscriptio* litera quadrata: *Finit Collectaneum Sedulii in Mattheum ex diversis Patribus excerptum. Deo gratias.* *Patrum nomina*, quos in aciem educit, ad marginem prima syllaba aut litera notantur; sunt uero *Origenes*, *Hilarius*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Maximus*, *Eucherius*, *Severianus*, *Faustus*, *Leo*, *Fulgentius*, *Cassiodorus*, *Gregorius M.* *Isidorus*, et *Beda*. *Ὁμωνυμον* etiam suum *Sedulium* *Poetam* pluries excitat, ita ex causa bis ad *Expositionem Orationis dominicae*, nobis *fol.* 49. et 51. Praeterea

*Capiti I. Matth.* subicit, quod sequitur: *Incipit Topicus ac Tropologicus Eiusdem Genealogiae Intellectus, quem Sanctus Ailerannus Scottorum sapientissimus exposuit. Ailerannum* hunc cognomento *Sapientem*, *Scholae Cluainerardiensis* in *Hibernia* magistrum, gestorumque *S. Patricii* scriptorem ex *Annalib. Ultoniens.* apud *Th. Tannerum* *suprac.* obiisse disco an. 664. aut 65. quamquam *Fabricius h. v.* illum ad *Sec. VIII.* referre malit. Praesentem illius *Tractatum*, sed, ut in *Praeloquio* ait, *proh dolor! imperfectum* primus e *Codice Sangallensi* produxit *Patrit. Flemmingus O. M. Lovanii* 1667. Unde in *Bibliothecam PP. Lugdun. T. XII.* p. 37. receptus est. *Ultima* ibi sunt: *In Assur, ut adiuuante domino — —.* *Noster* lineis 36. prolixior, integer est, finitque: *cunctis credentibus et electis in domino conueniat.* Postremo denique *Sedulius* noster ad *Cap. III. Matth.* nobis *fol.* 22. ita scribit: *Est autem locusta, ut Archulfus refert, paruum animal uolatile in modum pollicis manus &c. Archulfus* *Episcopus Gallus* ex *Oriente* redux obiit in *confinio* *Sec. VII.* et *VIII.* priusque *Adamnano* *Abbati Hiensi O. S. B.* in *Scotia* dictavit *Libros III. de Locis Sanctis*, quos post *Jac. Gretserum* edidit *Joh. Mabillonius* in *Actis SS. O. S. B. Sec. III. P. 2. p.* 502. *Locus* noster de *Locustis* habetur *L. II. c. 23.* Ex his itaque de *Sedulii* aetate conicias, cuius praesens *Collectaneum* non

inutilem etiam operam in conferendis PP. locis aliquando praestare possit.

Codicem ambiunt Literae *Arnesti* I. Archiepiscopi *Pragensis* ad Abbatem et Conventum O. S. B. in *Wilemow* Dioecel. *Prag.* in membrana scriptae, pro *Petro de Zatz* beneficio donando, quibus insertae sunt aliae *Innocentii VI.* datae *Avenione Pontificatus Anno primo*, i. e. 1353.

CX. VIII B 22.

<sup>122</sup> Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. 286. f. forma pene quadrata per duas columnas eleganter scriptus, rubricis distinctus et optimae notae continet *Christiani Druthmari* ob scientiam et *πολυγλωττιαν* dicti *Grammatici* Aquitani, Monachi *Corbejenfis* O. S. B. Scriptoris, ut mox patebit, Sec. IX. *Opera residua*, et primo quidem *Commentaria* egregia, sensuique potissimum literali inhaerentia in *Evangelium Matthaei*. Edita sunt illa primum ope solertissimi *Jac. Wimpbelingii*, praefixis *Leonis X.* Insignibus, *Argentorati per Job. Grüningerum*

1514. f. restituta per *Menrad. Moltherum*, qui, ut docet *Praefatio*, praecedentem Editionem ignorabat, ex *Bibl. D. Andreae Vormatiensi, Haganoae* typis *Job. Secerii* 1530. 8. Quo loco peccat *Historia Lit. Galliae* T. V. p. 89. ex *Secerio* editorem, ex *Molthero* typographum faciendo. Tandem in *PP. Bibliothecas* transferre, neque est, quod *Historia* paulo ante citata queratur, neglectam esse lectionem, quam *Sixtus Senensis* in vetustissimo Codice *Bibl. O. Minor. Lugduni* invenerat; habetur enim haec lectio in margine T. XV. *Bibl. PP.* edit. *Lugdunens.* p. 165. ubi *Druthmarus* ad C. *Matth.* 26. historiam institutionis S. Coenae exponit, qui, cum a quibusdam, teste *Fabricio Bibl. med. et inf. Lat. v. Christianus*, et *Hist. lit. supracit.* infimulatus fuerit a sensu Catholicae Ecclesiae in explicando hoc mysterio deflectere, aliique alios de Exemplarium corruptione criminarentur, operae pretium videtur, *Codicem* nostrum eo in loco cum *Moltheri* editione et *Bibl. PP.* contendere.

*Noster.*

*Molth.*

*Bibl. PP.*

Et post. et quem de sancta Maria adsumpsit.

Et post, et ei quem de sancta &c.

Et post, quem de sancta &c.

Et potentiam ueraciter inesse monstravit.

Et potentiam ueracitatis &c.

Et potentiam ueraciter &c.

Semper hoc in figuram facerent.

In figura.

In figura.